

gnitur, Spiritus sanctus procedit : ergo qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Item quia essentia divina, Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt quatuor nomina non synonyma : ergo illis correspondent quatuor res distinctæ : essentia enim est res, et non est Pater, quia non gignit, nec Filius, quia non gignitur, nec Spiritus sanctus quia non procedit, sunt ergo quatuor res, et sic est quaternitas non Trinitas. Et præsertim cum essentia se habeat ut fons, et radix Personarum, seu relationum, et fundamentum earum, distinguitur autem radix, et fons ab eo quod emanat. Item ingenitum et genitum differunt, sicut generabile et ingenerabile, quæ plusquam genere differunt, et sic Pater, et Filius different plusquam genere, quomodo ergo sunt unus Deus? Præsertim quia si sunt unus Deus, ille Deus erit genitus in Filio, et non genitus in Patre, quæ est contradictio, genitum et non genitum. Et ipsum esse genitum, et ingenitum, vel est accidens, vel substantia. Si substantia, differunt substantialiter, et sic non sunt una substantia. Si accidens, hoc repugnat Deo : esset enim compositus ex accidenti, et substantia.

XL. Respondetur ad primum sophisma, minorem esse certam, quod essentia non generat, nec generatur, ut constat ex Concilio Lateranensi, canone secundo : Damnamus, de summa Trinitate, licet Pater qui generat sit essentia, et Filius qui gignitur sit essentia, nec tamen generat essentia, sed res illa quæ est essentia; incidit enim hic fallacia accidentis, seu defectus appellationis, quia cum essentia realiter, et identice complectatur genus absolutum, et relativum, formaliter autem nomine essentia non explicetur nisi absolutum, fit transitus a

quid in ad aliquid, et sub diversis formalitatibus proceditur, et sic essentia sub conceptu essentia, id est, ut exprimit rationem absolutam non generat, nec generatur, sed relatio, vel potius relativum in concreto generat et generatur, quæ tamen est essentia identice, seu est res, quæ est essentia, non tamen sub conceptu essentia, quæ exprimit quid absolutum, sed sub conceptu relativo generat vel generatur. Et in hoc paralogizant ista sophismata, quia transitur a conceptu essentia sub appellatione, et formaliter absoluti ad conceptum relativi, vel ad id quod solum identice est essentia. Quare ad majorem argumenti respondendum est, quod ille qui non gignit, nec gignitur, nec procedit non est verus Deus, si ly verus Deus, et ly ille, sumatur personaliter, verum est; si sumatur essentialiter, falsum est : Persona enim in Deo quæ non gignit, nec gignitur, nec procedit est verus Deus, scilicet essentia divina sub conceptu essentia, quæ tamen identice est res illa quæ gignit, et gignitur, et procedit, quia illa essentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Ad probationem autem dicitur, quod nullus est Deus præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quia etiam unus Deus est Pater, et Filius et Spiritus sanctus et sic non est præter eos. Cum autem infertur: Ergo qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus, distingo consequens; qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, neque formaliter, neque identice, et ita est aliquid in re præter gignentem, et genitum, et procedentem, concedo; qui non gignit, nec gignitur formaliter, bene tamen identice non est Deus, nego : essentia enim sub conceptu essentia formaliter non gignit, est tamen identice res quæ gignit, et res quæ gignitur id

est ipsæ Personæ, quia essentia identice est ipsa relatio; et ita identice est res quæ gignit, et gignitur, licet non formaliter sub conceptu, et expressione essentia.

XLI. Ad secundum sophisma respondetur illa quatuor nomina non esse synonyma, quia non significant idem sub eodem conceptu, et consideratione, licet in re unum ex illis, nempe essentia, sit idem, et unum cum aliis tribus. Et sic, ut dicitur in Concilio Lateranensi, canone : Damnamus, de summa Trinitate : « In Deo solum est Trinitas, non quaternitas, quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina. » Nam etiam sapientia, et justitia, intellectus, et voluntas non sunt nomina synonyma in Deo, et tamen significant id quod in re, et identice est unum, significant tamen diversos conceptus, et rationes formales. Unde licet illa quatuor nomina significant realitatem veram, non tamen omnia significant realitatem distinctam, et oppositam aliis : tria enim priora nomina Pater, et Filius, et Spiritus sanctus quia relativa sunt, et inter se opposita, significant tres res distinctas relative; essentia vero quia non significat relationem oppositam aliis, sed perfectionem absolutam, significat quidem rem, sed non oppositam Personis, et ita identificatam cum illis; licet autem essentia non generet, et Pater generet, hoc non arguit distinctionem, quia non inducit oppositionem rerum, sed diversam explicationem formalitatum, et conceptuum : res enim quæ est essentia generat, et generatur, quia relationes identice sunt res, quæ est essentia. Sed tamen non dicendo res, quæ est essentia, sed tantum essentia, explicat formalitatem conceptus essentia, ut distinguitur a conceptu relationum, et sic sub hac

præcisione neque generat, neque generatur, ut in Concilio Lateranensi loco citato habetur. Ut autem distingueretur essentia non generans a Patre generante, necesse erat, quod non solum formaliter, id est, sub conceptu essentia, sed nec identice generaret, hoc autem secundum est falsum. Quod vero dicitur essentiam esse radicem, et fontem Personarum, non intelligitur hoc per veram emanationem, sicut res procedens fluit a suo principio, sed per quamquam similitudinem, sicut essentia dicitur radix attributorum, et ens suarum passionum, quæ tamen non distinguuntur, sed identificantur cum illo.

XLII. Ad tertium sophisma dicitur quod genitum, et ingenitum per communicationem in eadem natura consubstantialiter non differunt genere, nec specie, nec numero in substantia, sed solum relatione notionali in Personis. Quæ autem se habent ut generabile, et ingenerabile in diversis naturis, differunt genere, ut cælum et elementa. Et cum dicitur quod si sunt unus Deus, ille Deus erit genitus, et non genitus respondetur, quod illa negativa non est concedenda : Deus non est genitus, quia ly non facit sensum absolutum : Nullo modo est genitus, in nullo supposito est genitus, et ista est falsa. Sed si sumatur in vi affirmationis, pro eo quod est ingenitus, sic idem Deus est genitus, et ingenitus respectu diversarum Personarum cum quibus identificatur Deus, quia in Patre est ingenitus, seu generans, in Filio est genitus, et procedens. Quod vero additur, an esse genitum, et ingenitum sit accidens, vel substantia, dico formaliter neutrum explicare, sed solam relationem sub conceptu correlationis, et oppositionis ad alterum, qui conceptus, prout sic, non explicat rationem in, neque substantiam aut

accidens, quod pertinet ad subiectum, ad id præcise quod ad terminum : identice autem includit substantiam, et non accidens, quia identificatur substantiæ, quæ est essentia Dei, in quo nullum accidens datur.

XLIII. Quarto obijciunt : Generare est perfectio viventis, hæc non convenit Filio : ergo Filius non est æqualis Patri in perfectione : ergo neque in natura, et sic non sunt plures Personæ ejusdem naturæ. Item quando Filius genitus est, vel erat, vel non erat. Si erat, ut quid generabatur? Si non erat : ergo ex non existente genitus est : ergo processit de potentia ad actum, et non erat actu, quando a Patre generabatur; et sic non est Deus verus, quia aliquando non erat. Et modo vel gignitur actu, vel jam est genitus, et aliquando non fuit genitus, et gignebatur, vel semper fuit genitus. Si modo etiam gignitur : ergo modo nondum habet ultimum terminum suæ perfectionis. Si jam est genitus, et non amplius gignitur, transit ejus generatio, et sic non est æterna quia desiit, et si aliquando non fuit genitus, aliquando non fuit perfectus in esse. Si semper fuit genitus, quando ergo fuit generatio? Et quomodo fuit in termino sine via? Item Filius debet esse similis gignentis, verbum autem est simile objecto quod exprimit, non intellectui a quo emanat : ergo non est Filius, quia Filius debet esse similis gignentis. Quod si ratione identitatis est similis Patri, quia est idem cum objecto; hac ratione etiam Spiritus sanctus erit similis Patri, et Filius ejus, quia identificatur in eadem essentia. Item vel essentia illa communis tribus Personis habet subsistentiam in se, vel non habet; si non habet, caret perfectione aliqua, quia subsistentia est perfectio substantiæ, et iterum erit forma

quædam incompleta, et imperfectior forma subsistente, ut Angelus; si habet subsistentiam : ergo est incommunicabilis; et sic non communicabitur tribus Personis? Et iterum erunt quatuor subsistentiæ, tres Personarum, et una essentiæ communis, quod est esse quatuor Personas; aut Personæ non habebunt proprias subsistentias, sed eam, quæ essentiæ est; et sic erit tantum una Persona. Item, quia iste est syllogismus expository : Hæc essentia est Pater, vel : Hic Deus est Pater : hic Deus est Filius : ergo Filius est Pater, ubi omnes propositiones constant termino singulari, nec syllogismus habet defectum : ergo si consequentia est mala, ideo est, quia præmissæ sunt falsæ, scilicet quia hic Deus sit Filius, et Pater. Nec potest dici quod inadæquate est Pater, et inadæquate est Filius, ideoque syllogismus non tenet; nam contra est, quia tota realitas quæ est in Patre, est in Filio, alias aliquid haberet Pater quod non haberet Filius, et consequenter aliquam perfectionem haberet Pater, quam non habet Filius : ergo adæquate est totum in toto, et in quolibet illorum. Unde neque Pater distinguetur a Filio, si tota realitas unius est in alio.

XLIV. Respondetur ad primum sophisma, quod generare est perfectio non nuda, sed effecta relatione, seu respectu notionali ad genitum, et ideo tota perfectio generationis est in Filio : at non sub respectu generantis, sed sub respectu geniti; ideoque ipse non generat, sed est genitus, et tanta perfectio est in Deo esse generantem, sicut esse genitum, licet sit diversa modificatio, seu respectus, quia ad perfectionem summam divinitatis pertinet esse trinum in Personis, quarum una est generans, et alia genita, et alia procedens : non ergo minus perfec-

tionis est in Deo generare, quam generari. Et totum quod perfectionis dicitur generare, et totum quod perfectionis est in generari vel procedere, totum est in omnibus tribus Personis, quia ista perfectio est ipsa essentia divina, quæ est ratio habendi talem perfectionem; sed quod relationis, et respectus requiritur ad generare, vel generari, non totum est in omnibus Personis, sed quælibet suam relationem habet correlatam, et oppositam alteri; et ideo non omnes Personæ generant, licet omnes habeant id quod perfectionis est in generare, non tamen id quod respectus, et relationis ad id requiritur.

XLV. Ad secundum sophisma dicitur, quod quando Filius genitus est erat, distinguo; erat per ipsam generationem, concedo; erat sine ipsa generatione, vel supponebatur ante generationem, nego, sed ipsa generatione est id quod est. Cum autem dicitur : Si erat, ut quid generabatur, dico quod si erat sine generatione, vel ante generationem, frustra generabatur : si autem solum per generationem, non frustra generabatur, si quidem ipsa generatione erat. Si autem dicatur, quod quando generabatur jam erat, seu præsupponebatur ante generationem, tunc negamus suppositum, scilicet quod ante generationem illam aliquid esset, vel aliqua duratio esset, in qua Filius non esset, quia illa generatio est æterna, et coæterna suo generanti; et sic non potest sumi aliquid ante, nec est imaginabilis duratio vel instans aliquid ante illam, in qua vel supponeretur jam existere Filius, vel nihil esse, ut ex nihilo fieret, sed semper erat, quia generatio semper erat : nunquam autem verificatur dictum Arianorum quod erat, quando Filius non erat, sed in quocumque

principio Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Quando autem inquiritur an modo gignatur Filius, an sit genitus, et transierit generatio, dico cum Augustino epist. CLXXIV : « Semper gignit Pater et semper nascitur Filius. » Illa enim generatio non est aliquod fieri, et via quæ transivit adveniente termino, cum non sit generatio facta per motum et successionem, sed est generatio æterna, perfectissima sine motu, et successione; et sic non transit, sed indivisibiliter durat eadem, alias æterna non esset, nec tamen modo est sine suo termino, quia illa generatio cum semper sit perfecta, semper est cum termino, non in potentia, et via, seu fieri ad terminum : sicut ergo æternitas modo, et ab æterno eadem prorsus est, ita generatio illa æterna tam eadem est modo quam ab æterno; et sic generatio illa modo durat, nec desiit esse, alias æterna et divina non esset. Et sicut modo et ab æterno est generatio, ita et terminus ejus modo est, et ab æterno, nec modo amplius perficitur, aut existit, quam ante, sed semper illa generatio est cum suo termino et ab æterno sic est, quia perfectissima est, et non per motum et successionem generat. Et sic quando inquiritur, si semper est genitus, quando fuit generatio, dico quod generatio, et terminus simul et unum sunt, nec generatio illa est motus et transitus seu via, ut sit genitus, sed sine motu et imperfectione simul est generatio et genitum : utrumque enim est æternum.

XLVI. Ad tertium sophisma dicemus infra latius tractando an sit in Deo subsistentia absoluta. Interim dicimus id quod supra retulimus ex D. Thoma IV cont. gent. c. XIV, solutione ad V, quod essentia secundum se est subsistens, si ly subsis-

tens sumatur pro eo quod est per se existens, et non inhærens, nec per aliud existens: sic enim divina essentia non solum per se est existens, sed etiam est ipsum esse, et ipsa existentia. Non tamen est subsistens si ly subsistens sumatur pro eo quod est incommunicabile ulteriori termino: essentia enim divina communicabilis est Personis. Et habemus aliquale hujus rei exemplum in creatis, licet ex alia parte sit valde deficiens: nam anima rationalis est per se subsistens, quatenus potest separata a corpore existere, non tamen est persona, quia communicabilis est corpori, et supposito integro, qui est homo. Deficit tamen exemplum, quia anima rationalis est forma informans et incompleta, in se, divina autem essentia non est forma informans et incompleta, sed est tota plenitudo essendi; et ita petit ex se illas tres personalitates relativas, ut in illis reddatur incommunicabilis, sicque personalitates illæ se habent ut termini ultimi, et ex se præbent incommunicabilitatem, quia præbent oppositionem relativam, qua ratione oppositionis incommunicabilitatem facit: habent autem ab essentia ipsam rationem existendi per se, quia essentia est ipsum esse a se. Unde non sequitur quod sint quatuor Personæ, quia persona dicit subsistentiam ut incommunicabilem, et in ultimo termino; subsistentia autem absoluta communicabilis est tribus Personis scilicet: Hic Deus, quia talis subsistentia non dicit aliud, quam singularem substantiam, ut per se existentem. Nec sequitur quod sit tantum una Persona, scilicet subsistentia absoluta, sed quod sint tres Personæ cum uno esse, seu existentia per se, quæ est subsistentia absoluta. Sed de hoc latius infra tractandum est.

XLVII. Ad quartum sophisma dicitur, illum syllogismum expository habere manifestum defectum quia medium non perfecte singularizatur: sicut enim in syllogismis de termino communi, requiritur quod medium perfecte distribuatur, ita in syllogismo expository requiritur quod medium perfecte singularizetur: sicut non valet iste syllogismus: Aliquis homo est Paulus: aliquis homo est Petrus: ergo Petrus est Paulus. In præsentia ergo ille terminus: Hic Deus, hæc essentia divina, licet sint termini singulares, habent tamen vim termini communis, quia illa singularis essentia communicatur pluribus suppositis, seu personis, quod est proprium termini communis: et sic non debemus uti illo termino tamquam medio ad syllogismum expository, quia non perfecte singularizatur, sed utendum est illo tamquam termino communi, sed tunc debet perfecte distribui, ut si dicas: Omne quod est Deus, est Pater: aliquid quod est Deus est Filius, etc. sed tunc major est falsa. Ad id vero quod dicitur, quod tota realitas, quæ est in Patre, est in Filio, etc. dico quod tota realitas absoluta quæ est in Patre, est in Filio, non tota realitas relativa; et sic non est adæquate totus Deus in Patre, quia etiam est in Filio. Quomodo autem non sint tres veritates, aut bonitates, licet sint tres res relativæ, sed solum sint tres res veræ et bonæ adjective sicut tres res divinæ, jam supra attigimus, et aliquid inferius dicemus sequenti disputatione tractando quænam prædicata multiplicentur cum Personis.

ARTICULUS IV.

Utrum sint necessariae processiones reales ad distinctionem Personarum, et D. Thomas recte illas dari probaverit?

Huc usque veritas mysterii hujus declarata et defensa a nobis est quantum ad distinctionem Personarum cum omnimoda unitate Personæ. Deinceps pro explicanda amplius ista distinctione Personarum, oportet videre an ad illam necessarium sit ponere processiones in divinis, et quomodo tales processiones dari S. Thomas probaverit, ut deinceps in articulis sequentibus de istarum processionum distinctione et ratione specialius disseramus.

I. Totus punctus istarum difficultatum versatur circa duas consequentias, quas fecit S. Thomas. Alteram infra q. xxxiii, a. iv ad iv, ubi probavit ex Hilario non posse in Deo esse plures Personas improductas, sed necessario unam debere procedere ab alia, quia alias illæ duæ Personæ improductæ non distinguerentur oppositione relativa sed diversitate naturæ. Ex qua consequentia, si recta est, conficitur hanc conditionalem esse veram: Si in Personis divinis datur realis distinctio, debet dari realis processio, et ita necessario requiritur realis processio, quod si illa non datur, non dabitur realis distinctio inter Personas.

II. Alteram consequentiam formavit S. Thomas in hac quæstione xxvii, art. i, ubi probavit dari de facto processiones reales intra Deum, ita quod per eas non mittatur, nec producat aliquid extra, sed ita aliquid procedat quod intra maneat. Quia omnis processio attenditur secundum aliquam actionem; et sicut se-

cundum actionem quæ tendit in exterioriorem materiam attendit ut processio ad extra, ita secundum actionem, quæ manet in agente, attenditur processio ad intra. Quod maxime patet intellectu, et actione intelligendi, quia quicumque intelligit ex hoc quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva, et ex ejus notitia procedens, quæ dicitur verbum cordis. In Deo autem non est intelligenda processio nisi secundum emanationem intelligibilem, non secundum sensibilem, et corporalem, quia Deus caret corpore. Et juvat ista processio intelligibilis ad servandam identitatem in natura cum principio a quo procedit, quia licet in processione rei ad extra, debeat esse diversitas in procedente ab eo, a quo procedit, tamen in emanatione intelligibili potius intelligens fit unum cum re intellecta exprimendo illam in Verbo, et quanto magis fit unum, perfectius intelligitur. Unde intelligere perfectissimum, erit summe unum cum re intellecta. Deus autem seipsum intelligit tamquam præcipuum objectum intelligendi; et sic Verbum debet esse maxime unum cum ipso Deo ut objecto intellecto.

Istæ consequentiæ suas habent difficultates, ex quarum solutione clarius apparebit dari in Deo processiones, et Personarum distinctionem, quæ ex processionibus omnino pendet.

DISTINCTIO PERSONARUM NECESSARIO EXIGIT PROCESSIONES.

III. Igitur circa primam consequentiam D. Thomæ advertendum est illum constare duplici illatione. Inquit enim sic D. Thomas loco citato, q. xxxiii: « Si essent duo innascibiles, unus eorum non esset ab